An. et vol. XXXXVI 16 Septembris 1954 (Ser. II, v. XXI) - N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

Spedizione in abbonamento postale - Gruppo III

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutiones Apostolicae, p. 465 - Litterae Apostolicae, p. 476 - Epistulae, p. 481 - Allocutio, p. 491 - Nuntii Radiophonici, p. 495 - Oratio, p. 501.

Acta Ss. Congregationum: *S. C. Consistorialis*, Decreta, p. 502 - *S. C. Rituum*: Decretum reassumptionis causae pro canonizatione B. Antonii M. Pucci, p. 509.

Diarium Romanae Curiae: Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, p. 511.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • LIV

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 1300 — extra Italiam, Lib. 2000 vel $ 5

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 100 — extra Italiam, Lib. 190 vel $ 0,30

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXXVI, n. 12 – 16 Septembris 1954)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I. MARIANNHILLENSIS (Umzimkuluensis). *Cum in Africa Meridionali.* – Ex dioecesi Mariannhillensi quaedam territoria distrahuntur, quibus nova dioecesis efficitur, Umzimkuluensis appellanda. – 21 Februarii 1954 . . PAG. 465

II. HIERACENSIS (Hieracensis-Locrensis). *Urgente Christi voce.* – Sedes et cathedra episcopalis dioecesis Hieracensis in Locros urbem transferuntur; eadem dioecesis mutato nomine Hieracensis-Locrensis appellabitur. – 22 Februarii 1954 468

III. OUIDAHENSIS (Portus Novi). *Qui universum.* – Ab Apostolico Ouidahensi Vicariatu quaedam territorii pars seiungitur, ex qua novus efficitur Vicariatus Apostolicus « Portus Novi » nuncupandus. – 5 Aprilis 1954 . 470

IV. DE TUMACO (Guapiensis). *Quemadmodum providus.* – Ab Apostolica Praefectura de Tumaco quaedam separatur regio, ex qua nova efficitur Praefectura Apostolica, Guapiensis appellanda. – 5 Aprilis 1954 472

V. HOLLANDIAE. *Sicuti sollers.* – Apostolica Praefectura Hollandiae in gradum et dignitatem Apostolici Vicariatus eiusdem nominis evehitur. – 14 Iunii 1954 474

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Fidei testimonia.* – Titulus ac privilegia Basilicae Minoris ecclesiae cathedrali dioecesis et urbis Celsonensis conferuntur. – 9 Iulii 1953 . . 476

II. *Augustis templis.* – Cathedrale templum Minoricense Basilicae Minoris titulo ac privilegiis cohonestatur. – 18 Septembris 1953 477

III. *Quam omnes gentes.* – Ecclesia in honorem B. Mariae V. a Visitatione, in oppido Werla intra fines Paderbornensis archidioecesis consecrata, Basilicis Minoribus accensetur. – 16 Octobris 1953 479

EPISTULAE

I. *Permagnus profecto.* – Ad Eῦum P. D. Valerium tit. S. Silvestri in Capite S. R. E. Presb. Cardinalem Valeri, Praefectum S. Congregationis de Religiosis, quem Legatum mittit ad Conventum Marialem e tota Canadensi regione ad Sanctuarium B. Mariae V. indictum, « Cap-de-la-Madeleine » nuncupatum, in Trifluvianensi dioecesi. – 2 Iulii 1954 . . 481

II. *En ouvrant.* – Ad egregium virum Carolum Flory, Praesidem Coetus Conventibus Catholicorum « Semaines Sociales » in Gallia apparandis. – 14 Juillet 1954 482

III. *We have learned.* – Ad clarum virum Ioannem M. Hayes, Praesidem Sodalitatis « Muintir na tire », ob Conventum Agricolarum Catholicorum Hiberniae, in urbe « Roscrea » indictum. – 14 Iuly 1954 488

IV. *Iucundum admodum.* – Ad Eῦum P. D. Angelum Iosephum tit. Sanctae Priscae S. R. E. Presb. Cardinalem Roncalli, Venetiarum Patriarcham, decem ab inito sacerdotio lustra implentem. – 16 Iulii 1954 489

ALLOCUTIO

Iis quae interfuerunt Conventui Sodalitatis internationalis « Filiarum Mariae Immaculatae », Romae habito. – 17 Iulii 1954 491

NUNTII RADIOPHONICI

I. Christifidelibus Britanniae Minoris, Peregrinis ad Sanctuarium « Sainte Anne D'Auray » nuncupatum. – 26 Iulii 1954 495

II. Christifidelibus e tota Canadensi regione ob Conventum Marialem ad Sanctuarium « Cap-de-la-Madeleine » in dioecesi Trifluvianensi coadunatis. – 15 Augusti 1954 498

ORATIO

Ab propitiandum Deum, ob exsecranda verba in Eum et in Beatos Caelites prolata offensum 501

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I. *Pisanae et Lucensis* – Decretum de mutatione finium archidioecesium. – 19 Februarii 1954 502

II. *Carthaginensis in Hispania - Oriolensis - Valentinae.* – Decretum de finium mutatione. – 13 Martii 1954 . 503

III. *Romanae - Portuensis et S. Rufinae* – Decretum de finium dioecesium delimitatione. – 5 Aprilis 1954 . . . 504

IV. *Toletanae - Giennensis - Guadicensis.* – Decretum de finium dioecesium mutatione. – 23 Aprilis 1954 506

V. *Tucumanensis.* – Decretum de capitulo cathedrali. – 27 Aprilis 1954 . . . 507

VI. *Popayanensis - Caliensis.* – Decretum de dioecesium limitibus. – 21 Maii 1954 508

SACRA CONGREGATIO RITUUM

Lucen. – Decretum reassumptionis causae pro canonizatione B. Antonii Mariae Pucci, Confessoris, Sacerdotis Ordinis Servorum B. M. V. – 12 Ianuarii 1954 509

DIARIUM ROMANAE CURIAE

Segreteria di Stato: *Nomine e Onorificenze* 511

An. et vol. XXXXVI 16 Septembris 1954 (Ser. II, v. XXI) – N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

MARIANNHILLENSIS (UMZIMKULUENSIS)

EX DIOECESI MARIANNHILLENSI QUAEDAM TERRITORIA DISTRAHUNTUR, QUIBUS NOVA DIOECESIS EFFICITUR, UMZIMKULUENSIS APPELLANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum in Africa Meridionali christiana fides admodum profecerit, res ipsa postulare videtur ut territorii finibus non nihil immutatis, nova ibi dioecesis constituatur. De sententia itaque venerabilis Fratris Caelestini Iosephi Damiano, Archiepiscopi titulo Nicopolitani in Epiro, eiusdemque in Africa Meridionali Apostolici Delegati; itemque Ordinarii loci, quid hac de re animi haberet; ac de consilio venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationi Fidei Propagandae praepositorum; eorumque denique consensu suppleto qui in negotio ius aliquod sese habere putent; re bene considerata, haec quae sequuntur potestate Nostra statuimus et decernimus. A dioecesi Mariannhillensi, quae est in Africa Meridionali, tum civiles regiones: Umzimkulu et Alfred, tum civilium districtuum: Underberg, Polela, et Port Shepstone eas partes quae ad meridiem fluminis Umzimkulu sitae sunt, separamus; quibus novam dioecesim constituimus, *Umzimkuluensem*

appellandam. Episcopi sedes in urbe Umzimkulu erit, cathedra vero in templo quod ad hoc Episcopus elegerit, quodque igitur ad dignitatem cathedralis templi evehimus. Umzimkuluensis dioecesis erit metropolitanae archidioecesi Durbanianae suffraganea et subiecta; item erunt eius Praesules eiusdem Ecclesiae Antistitibus obnoxii. Sive autem dioecesi sive eius Episcopis tanta dignitate honestatis, ea omnia iura, honores, potestates, privilegia tribuimus quae Ecclesiis et Praesulibus eiusdem honoris iure concedi solent. Iisdem tamen oneribus teneri volumus quibus ceteri per orbem. Umzimkuluensis dioecesis curis eorum sacerdotum concredetur qui in eadem regione ortum duxerunt. Qui, cum et fide nitescant, et gloriae Dei quaerendae magno studio praestent, spes est sollicito eos labore in posterum quoque tempus christianae religionis opus esse perfecturos. Episcopus, cui nova Umzimkuluensis dioecesis moderanda continget, curae habebit Seminarium saltem elementarium in suo territorio erigi, quo pueri ad sacerdotii munera vocati optime institui possint. Quod ad Canonicorum Collegium respicit, volumus ut quam primum condatur. Quo usque tamen ob difficultates constitui nequeat, indulgemus ut ad tempus Consultores dioecesani eorum loco deligantur, quorum consilio et labore Episcopus in suae ipsius dioecesis negotiis adiuvetur. Electio Vicarii Capitularis seu Administratoris Apostolici, Sede vacante, fiat ad normam iuris; item ea omnia quae ad clericorum disciplinam, populi iura et onera aliaque huiusmodi pertinent, Codice Iuris Canonici omnino regantur. De clero autem peculiariter statuimus ut ea pars quae ante divisum territorium in iis regionibus, ex quibus nova Ecclesia constituetur, legitime degebat, eadem in posterum Umzimkuluensi dioecesi adscripta censeatur. Mensa episcopalis, quae dicitur, ex iis bonis constabit quae vel ex divisione bonorum Mariannhillensis dioecesis pro rata parte propria habebit; vel a fidelibus christianis offerentur; vel Curiae quolibet modo obvenient; vel denique a Sacra Congregatione Fidei Propagandae mitti solent. Quae his Litteris mandavimus exsequenda curabit venerabilis Frater Caelestinus Iosephus Damiano, quem supra memoravimus, vel ille qui eo tempore quo decreta ad exitum adducentur munere Apostolici Delegati in Africa fungetur. Qui vero negotium perficiet, eidem omnes potestates agendae rei tribuimus quae poterunt cuilibet viro subdelegari, si opus fuerit, in ecclesiastica dignitate constituto. Habebit idem venerabilis Frater onus, confecto negotio, documenta exarare cuius fide digna exempla ad Sacram Congregationem Fidei Propagandae quam primum mittenda curabit.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose

serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis quavis praeditus auctoritate sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum praeferant viri in ecclesiastica dignitate constituti, simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino fides habenda erit, quae hisce haberetur, si ostenderentur, Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas qui summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae, apud S. Petrum, die uno et vicesimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus Hannibal Ferretti, *Proton. Apost.*
Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXVIII, n. 2½.

II

HIERACENSIS
(HIERACENSIS-LOCRENSIS)

SEDES ET CATHEDRA EPISCOLALIS DIOECESIS HIERACENSIS IN LOCROS URBEM TRANSFERUNTUR; EADEM DIOECESIS MUTATO NOMINE HIERACENSIS-LOCRENSIS APPELLABITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Urgente Christi voce, qua iubemur et agnos et oves magna sollicitudine pascere, quas soluto sanguinis pretio ipse redemit, omnes curas impendimus ut christianorum gregi quam optime consulatur. Cum igitur venerabilis Frater Pacificus M. Aloisius Perantoni, Episcopus Hieracensis, suae dioecesis regimini aptius consulendi gratia, iamdiu Apostolicae Sedi exhibitas preces iteraverit ut episcopalis Sedes Hieracensis in Locros civitatem transferretur : eam enim urbem et episcopalis cathedrae gloria olim nituisse, et his temporibus magna incrementa cepisse, et denique viarum commoditate praestare; Nos, spe moti catholicae rei progressioni valde conferre, si preces benigne admittantur, post consilium exquisitum a venerabili Fratre Nostro S. R. E. Cardinale Sacrae Congregationis Consistorialis a Secretis, eorumque consensum supplentes quos quoquo modo hoc negotium contingat, de apostolica Nostra potestate haec quae sequuntur decernimus et iubemus. Sedem et cathedram episcopalem Hieracensis dioecesis, ad hodiernum diem in civitate Hieracio exstantes, in urbem Locros transferimus, quam proinde ad episcopalium civitatum dignitatem perducimus, iis iuribus, honoribus, privilegiis tributis, atque oneribus.iniunctis, quae ceterarum Sedium eiusdem honoris propria censeri solent. Sive dioecesim, sive eius Episcopum in posterum Hieracensis-Locrensis appellatione cognominari volumus. Iubemus vero ut tum dioecesis tum Praesules, quibus ipsa regenda contigerit, Rheginensi Sedi eiusque Archiepiscopo tamquam suffraganei subdi pergant. Quod templum B. Mariae Virginis « a Mastro » vocant, in eo episcopalem cathedram collocari iubemus, illudque per has Litteras ad cathedralis templi honorem et dignitatem evehimus. Ne tamen Hieracensis Ecclesia, tanta gloria illustris, suo decore fiat in posterum expers, sed eius maneat inte-

grum per saecula nomen, eam concathedralis titulo in perpetuum honestamus, cum omnibus iuribus, honoribus, privilegiis at etiam oneribus et obligationibus quae huiusmodi templis sunt propria. Quae his Litteris praescripsimus efficienda curabit venerabilis Frater Ioannes Ferro, Archiepiscopus Rheginensis, vel ille qui eo tempore quo res ad exitum adducetur ei Sedi praeerit. Qui vero negotium perficiet, ei omnes potestates agendae rei concedimus quas poterit etiam cuilibet viro subdelegare qui tamen aliqua polleat ecclesiastica dignitate; iniuncto tamen onere documenta exarandi eorumque fide digna exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem quam primum mittendi.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus ita ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtíneant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter siquis quavis auctoritate praeditus, sive sciens sive insciens, contra egerit ac Nos ediximus, id irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum praeferant viri in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino fides habenda erit quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum siquis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae, apud S. Petrum, die vicesimo secundo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

✠ Fr. ADEODATUS I. Card. PIAZZA
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*
Silvius Sericano, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Apost. Canc. tab. vol. LXXXVIII, n. 37.

III

OUIDAHENSIS
(PORTUS NOVI)

AB APOSTOLICO OUIDAHENSI VICARIATU QUAEDAM TERRITORII PARS SEIUNGITUR, EX QUA NOVUS EFFICITUR VICARIATUS APOSTOLICUS « PORTUS NOVI » NUNCUPANDUS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui universum Christifidelium populum superno Dei consilio suscepimus regendum ac gubernandum, magnam animo concipimus laetitiam cum in terris, quas Evangelii praecones novarunt, prosciderunt, novas constituere Sedes possumus, ut christianum nomen magis magisque propagetur et, ubi propagatum fuerit, aptius administretur. Quam ob rem, cum Nobis propositum sit ut in Africa Occidentali Gallica ab Ouidahensi Vicariatu Apostolico, quippe qui in nimiam pateat latitudinem, pars quaedam distraheretur et novus ex ea erigeretur Vicariatus, Nos hoc libenter admittendum censuimus. Audito igitur consilio venerabilis Fratris Marcelli Lefebvre, Archiepiscopi titulo Arcadiopolitani, in Europa, atque Apostolici in Africa Occidentali Gallica Delegati, ac sententiam secuti venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Coetui Christiano Nomini propagando praepositorum, quam dilectus Filius Noster S. R. E. Cardinalis eiusdem S. Congregationis Praefectus, vi peculiarium facultatum sibi a Nobis concessarum, ratam habuit, Nos, re diligenter perpensa, certa scientia eorum quae acturi sumus et consensum omnium sua interesse arbitrantium supplentes, de suprema apostolica Nostra potestate haec quae sequuntur decernimus et constituimus. A Vicariatu Apostolico Ouidahensi totam distrahimus regionem cuius fines sunt: ad septentrionem, limites civiles quibus a Nigeria usque ad flumen Ouemé regio vulgato nomine « Cercle Civil de Savalou » definitur; ad occidentem, flumen Ouemé et limites civiles regionis vulgato nomine « Cercle Civil de Porto-Novo » usque ad Oceanum Atlanticum; ad meridiem, Oceanum Atlanticum usque ad Nigeriam; ad orientem denique limites archidioecesis Lagosensis. Quam regionem in novum redigimus Vicariatum Apostolicum, qui a civitate « Porto-Novo » *Portus Novi* nuncupabitur; quemque sollertibus concreditum curis Sodalium Societatis Missionum ad Afros volumus, ad Nostrum tamen et Sanctae

Sedis nutum. Cui Vicariatui, quem nuper constituimus, eiusque pro tempore Praesulibus, omnia tribuimus iura et honores, quibus ceteri Vicariatus eorumque Praesules per terrarum orbem fruuntur; quos tamen volumus iis oneribus atque officiis obstrictos, quibus ceteri onerantur. Ut autem ea quae Nostris hisce Litteris praecipimus efficiantur, eundem venerabilem Fratrem Marcellum Lefebvre deligimus vel illum qui eo tempore quo haec decreta ad rem adducentur, Delegationi in Africa Occidentali Gallica praeerit; cui propterea omnes necessarias et opportunas ad id potestates tribuimus, cuilibet viro, si opus fuerit, subdelegandas, dummodo in aliqua sacerdotali constituto dignitate. Iubemus praeterea ut idem venerabilis Frater hoc confectum negotium in tabulas referat, quarum fide digna exempla ad S. Consilium Christianae Fidei Propagandae quam primum transmittet.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est sedulo serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens, contra egerit ac Nos edixímus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, aut typis impressis aut manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae decreta Nostra in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae apud S. Petrum, die quinto mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.

CELSUS Card. COSTANTINI
S. R. E. Cancellarius

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

† Alfonsus Carinci, Archiep. tit. Seleuc., *Decanus Prot. Apost.*
Franciscus Hannibal Ferretti, *Prot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Canc. tab. vol. LXXXVIII — n. 59.

IV

DE TUMACO (GUAPIENSIS)

AB APOSTOLICA PRAEFECTURA DE TUMACO QUAEDAM SEPARATUR REGIO, EX QUA NOVA EFFICITUR PRAEFECTURA APOSTOLICA, GUAPIENSIS APPELLANDA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quemadmodum providus pater domum suam ratione regit ac summa diligentia, ne quid in familiae administratione sit ineptum, neu quid absurdum, ita et Nos, qui a summo Deo innumeros paene filios suscepimus ad aeternam dirigendos salutem, nihil inexpertum relinquimus quod ad maiorem ipsorum utilitatem apte conducere possit. Quam ob causam benigno videmus ac diiudicamus animo venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Fidei Propagandae praepositorum consilium qui, precibus admissis venerabilis Fratris Pauli Bertoli, Archiepiscopi titulo Nicomediensis et in Columbiana Republica Nuntii Apostolici, opportunum censent novam in Columbiana Republica Apostolicam erigi Praefecturam, ab Apostolica Praefectura de Tumaco certa territorii parte disiuncta. Quorum sententiam Nos plane ratam habemus; re propterea attento animo considerata et clara idcirco scientia eorum quae gesturi sumus; consensu praeterea eorum suppleto, quorum huiusmodi negotium quavis ratione intersit; de suprema Nostra potestate haec quae sequuntur statuimus. Ab Apostolica Praefectura de Tumaco, nimis late patente, id territorii separamus, quod his circumscribitur finibus: ad septemtrionem scilicet, linea quae ab extremis oris fluminis Naya civiles limites legit quibus regio Departamento de Valle nuncupata, a regione de Cauca distinguitur, usque ad locum quem Cerro Naya vocant; sub oriente, Popayanensis archidioecesis finibus usque ad locum, qui Cerro del Loro vulgato nomine appellatur; a meridianis oris, linea quae a loco Cerro del Loro civilem regionem Departamento de Cauca a territorio de Nariño dividit quaeque ad occidentem vergens usque ad Oceanum pervenit mare; sub occidente denique, Oceano mari, a communibus limitibus regionum Departamento de Cauca et de Nariño, quos supra diximus, usque ad Naya flumen, iis non exceptis insulis, quae Gorgona et Gorgonilla dicuntur. Quod territorium, urbes complectens Guapí et Timbiqui, in novae Apostolicae Praefecturae for-

mam redigimus *Guapiensis* posthac appellandae. Hanc vero Praefecturam regendam tradimus, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis nutum, sollertibus curis Ordinis Fratrum Minorum. Cui Apostolicae Guapiensi Praefecturae eiusque pro tempore Ordinariis, omnia iura tribuimus et honores omniaque onera et officia iniungimus, quibus ceterae per orbem Praefecturae earumque Praesules et fruuntur et onerantur. Ut autem ea quae Nostris his Litteris iubemus efficiantur, venerabilem Fratrem Paulum Bertoli, quem supra diximus, deligimus, vel eum qui eo tempore quo haec decreta ad rem adducentur, Apostolicae in Columbiana Republica praeerit Nuntiaturae; cui vero contigerit hoc exsequendum negotium, illi necessarias ad id potestates facimus cuilibet subdelegandas, si opus fuerit, viro qui ecclesiastica dignitate polleat. Praecipimus pariter ut hoc confectum negotium in acta referatur, quorum fide digna exempla ad S. Consilium de Propaganda Fide quam primum transmittantur.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus: ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae apud S. Petrum, die quinto mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.

Pro S. R. E. Cancellario

✠ EUGENIUS Card. TISSERANT
Sacri Collegii Decanus

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*
Silvius Sericano, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Canc. Ap. tab. vol. 88 n. 51.

V

HOLLANDIAE

APOSTOLICA PRAEFECTURA HOLLANDIAE IN GRADUM ET DIGNITATEM APOSTOLICI VICARIATUS EIUSDEM NOMINIS EVEHITUR.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sicuti sollers pater donis merentes donat filios, ut ipsorum animos ad maiorem cotidie alacritatem incendat, ita et Nos, qui arcano Dei numine christianorum regimus familiam, maxima laetitia Evangelii praeconibus, quos singulari quodam amore prosequimur, sui ardui laboris, ut possumus, praemium persolvimus. Cum igitur Generalis Moderator Ordinis Fratrum Minorum enixe ab hac Romana Sede postulaverit ut Apostolica Praefectura Hollandiae, quae in territorio Nederlands Nieuw-Guinea adiacet, ad gradum et dignitatem perduceretur Apostolici Vicariatus; cumque praeterea venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales S. Congregationi Fidei Propagandae praepositi, audito venerabili Fratre Georgio de Jonghe d'Ardoye, Archiepiscopo titulo Misthiensi et Apostolico in civitate Djakarta Internunzio, opportunum censuerint huiusmodi esse precibus concedendum; Nos eorum sententiam, a dilecto Filio Nostro S. R. E. Cardinale eiusdem S. Consilii Praefecto probatam, plane ratam habemus. Re igitur attento animo considerata at clara idcirco scientia eorum quae acturi sumus; consensu denique eorum suppleto, quorum hoc negotium quavis intersit ratione, de suprema Nostra potestate haec quae sequuntur decernimus atque statuimus. Apostolicam Praefecturam *Hollandiae* in Apostolici Vicariatus, Hollandiae nomine pariter appellandi, gradum perducimus et dignitatem; quem pariter iisdem Fratribus, quos modo diximus, concredimus, ad Nostrum tamen et Sanctae Sedis nutum. Hollandiae igitur Apostolicum Vicariatum itemque eius pro tempore Praesules iis iuribus honoribusque decoramus atque oneribus officiisque astringimus, quibus solent ceteri Vicariatus eorumque Antistites et honestari et teneri. Ut autem ea quae Nostris hisce Litteris iubemus efficiantur, venerabilem Fratrem Georgium de Jonghe d'Ardoye, quem supra diximus, deligimus vel eum qui eo tempore quo haec decreta ad rem adducentur, Apostolicae praeerit Internuntiaturae in urbe Djakarta exsistentis; qui vero opus exsequetur,

illi necessarias ad id potestates facimus cuilibet subdelegandas, si opus fuerit, viro qui ecclesiastica dignitate polleat. Praecipimus pariter ut confectum negotium in acta referatur quorum fide digna exempla ad S. Consilium de Propaganda Fide quam primum trasmittantur.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens, contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini propterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Romae apud S. Petrum, die quarto decimo mensis Iunii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.

CELSUS Card. COSTANTINI
S. R. E. Cancellarius

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. Congr. de Propaganda Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Albertus Serafini, *Prot. Apost.*
Silvius Sericano, *Prot. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Canc. tab., vol. LXXXVIII, n. 8½.

LITTERAE APOSTOLICAE

I

TITULUS AC PRIVILEGIA BASILICAE MINORIS ECCLESIAE CATHEDRALI DIOECESIS ET URBIS CELSONENSIS CONFERUNTUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Fidei testimonia rerumque gestarum monunenta esse vetusta eaque celeberrima Templa, neminem latet. Quae inter Cathedralis Ecclesia urbis et dioecesis Celsonensis, in Hispania, adnumeranda videtur, prout ad Nos allatum est. Inde enim a saeculo X Celsonensis Ecclesiae, Deo in honorem Beatae Mariae Virginis et Beati Petri Apostoli munificentia Comitis Urgellensis dicatae et paroeciali dignitate auctae, exstat memoria, cuius tamen primigenum aedificium omnino deletum est. Manent vero serioris aedificii saeculo XII exstructi vestigia, quae « monumentum nationale » a publica Hispanica auctoritate sunt declarata. Una cum Templi amplitudine artisque pulchritudine, magna Cleri, procerum populique floruit pietas, quippe cum, inde ab anno millesimo nonagesimo septimo, a Beato Urbano Pp. II, Decess. Nostro, clericis ipsis Ecclesiae inservientibus Canonicorum Sancti Augustini Regula imposita esset, quam postea, ad disciplinam monasticam augendam, Beatus Eugenius Pp. III, anno MCL, haud sine Christifidelium spirituali emolumento, feliciter providenterque confirmavit. Tam illustris facta est Celsonensis Ecclesia, ut Romani Pontifices privilegiis et indultis eam augerent atque Hispaniae Reges et ditarent et inter eius Canonicos adnumerari vellent. Cum autem Clemens Pp. VIII, fel. rec., Decessor Noster, a Rege Hispano rogatus, urbem Celsonam Episcopali Cathedra, anno MDXXXXIII, donavisset, memoratam Ecclesiam, novis artis operibus auctam, Cathedralis titulo insignivit. Quae postea, et perturbationis Gallicae tempore et Hispanico bello civili furente, gravibus vastationibus et incendiis eversa est. Tandem, Episcopo, Clero, Optimatibus fidelibusque sociam operam praebentibus, Celsonensis Ecclesia Cathedralis omnino est refecta ac restituta, et ab ipso Ordinario, die X mensis Novembris anno MCMLI, sollemni consecrata caerimonia. Pervetusta Beatae Mariae Virginis «a Claustro» Imago, in eadem Ecclesia servata, multos allicit fideles. Ipsa autem Deipara, in cuius honorem Confraternitas, innumeris indulgentiis ditata, fuit instituta,

a Leone Pp. XIII, fel. rec., Decessore Nostro, praecipua urbis Celsonae Caelestis Patrona, ut « Mater Divinae Gratiae » invocata, fuit electa. Quae cum ita sint, Venerabilis Frater Vincentius Enrique y Taracon, Celsonensis Episcopus, proprio nomine et Cleri, Optimatum fideliumque, enixe Nos rogavit ut laudatam Ecclesiam Cathedralem ac dignitatem Basilicae Minoris benigne evehere dignaremur. Nos autem, ut urbis ac dioecesis Celsonensis fidelium singularem pietatem peculiari benevolentiae Nostrae pignore donaremus, his votis annuendum perlibenter censuimus. Quapropter, ex consulto Sacrae Rituum Congregationis, certa scientia et matura deliberatione Nostra deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium Litterarum tenore perpetuumque in modum, Ecclesiam Cathedralem, Deo in honorem Sanctae Mariae et Sancti Petri Apostoli conditam et in urbe Celsona positam, ad dignitatem Basilicae Minoris, cum omnibus privilegiis et honoribus eidem titulo rite competentibus, evehimus. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos spectant seu spectare poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IX mensis Iulii, anno MCMLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

II

CATHEDRALE TEMPLUM MINORICENSE BASILICAE MINORIS TITULO AC PRIVILEGIIS COHONESTATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Augustis Templis, scilicet religionis domiciliis praecipuis et artificiosorum operum quasi spectaculis, e translaticio Sedis Apostolicae instituto decus addi solet atque honor. Quorum in numero habenda videtur Beatae Mariae Virgini Se purificanti

sacra Cathedralis Ecclesia Minoricensis, quae, postquam eiusdem nominis insula in libertatem est vindicata, ab Alfonso III, Rege Aragoniae, anno millesimo ducentesimo octogesimo septimo exstructa fuit, atque sinceri generis gothici, quod dicunt, lineamentis etiamnum spectabilis est et insignis. Eadem sacra Aedes, olim curialis, postea sedes Praepositi effecta, anno millesimo septingentesimo nonagesimo quinto, Cathedralis Templi a Pio VI, Decessore Nostro rec. me., honore fuit decorata. Cum autem civile bellum in Hispania non ante multos annos saeviret, egregia haec domus Dei impie direpta est ac vastata; tamen, pace composita, ad antiquae Basilicae rationem refecta. Admireris praesertim solium episcopale, cuius auspicalem lapidem Nosmet Ipsi lustravimus, aram maximam, ex marmore affabre confectam, omniumque Christifidelium ante oculos positum, sacellum Sanctissimae Eucharistiae Sacramento asservando. Sacerdotes denique e prioribus in huius Templi ministeriis impigri versantur estque idem sacra supellectile affatim instructum. Itaque Venerabilis Frater Bartholomaeus Pascual Marroig, Episcopus Minoricensis, preces ad Nos admovit ut Templum, tot laudibus ornatum, Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus libenter admissis, Nos, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Cathedralem Ecclesiam Minoricensem ad dignitatem et honorem Basilicae Minoris evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae eidem titulo rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulfi, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Septembris, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

III

ECCLESIA IN HONOREM B. MARIAE V. A VISITATIONE, IN OPPIDO WERLA INTRA FINES PADERBORNENSIS ARCHIDIOECESIS CONSECRATA, BASILICIS MINORIBUS ACCENSETUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quam omnes gentes ex eiusmet vaticinio ferunt laudibus, Virgini Mariae hospitae consecratum Templum, Werlae intra fines archidioecesis Paderbornensis situm, in eorum numerum merito videtur ascribendum, quae a Romanis Pontificibus solent peculiari honore ornari augerique. Nam, licet annis MDCCCCXIV-MDCCCCXVI sit exaedificatum, tamen vetus usus, ex quo Deiparae cultores Aedem Susatensem « Sanctae Mariae ad pratum » a saeculo XIII catervatim adibant, in hanc quasi novam sedem fuit translatus, ubi, haud remissa animorum alacritate, etiamnunc viget. Est praeterea huiusce Ecclesiae moles ea ut plura milia capiat Christifidelium, quorum multitudo immensum fere potest, pro re nata, augeri, quandoquidem etiam in Aede vetere, huic Templo continente, atque in area ab utroque latere Ecclesiae patente permagna hominum vis, voce electrico invento propagata, sacris valet interesse. Interius autem Templum, in tres alas divisum, structurae genere, quod Romanum recentioris aetatis appellatur, spectabile est, atque haud modica commendatur specie ac venustate. Habent ibi admirationem manus artificum, qui in ara maxima et in parietibus Virginem Deiparam, eius vitam resque mire ab ea patratas coloribus expressere. Cui etiam sacrae Aedi tres turres, affabre exstructae atque haud parum editae, grave quoddam decus addunt et ornamentum. Potissima vero ibi habetur Imago Beatae Mariae Virginis, quae saeculo XIII ad artis rationem sculpta, Susatii olim fuit asservata pieque exculta, sed demotis multorum animis ab Ecclesiae Catholicae unitate, in oppidum Werlam anno MDCLXI translata, ubi in Templo, quod diximus, perpetuis ornatur obsequiis. Praeterea Sodales Franciscales, quibus Ecclesia est credita, non pauci numero rebus divinis ibi operantur ac munera superna Christifidelibus studiose dilargiuntur. Iuvat quoque memorare egregium hoc Simulacrum anno MDCCCCXI, magna adstante populi multitudine, aureo diademate esse redimitum. Est ergo hoc Templum totius amplae archidioecesis Paderbornensis princeps marialis religionis domicilium, ad quod ducenta quinquaginta fere milia hominum pietatis causa peregrinantium quotannis solent accedere, in

quibus etiam Purpurati Patres, Sacrorum Antistites, Optimates et ipse Praeses Consilii Reipublicae moderandae numerantur. Neque praetermittendum est eos, qui proximo bello e suis sedibus deturbati sunt, cives singulis annis Werlam convenire ut Almam Deiparam, gementium solatricem, in tot rebus afflictis, deprecentur. Quo autem sacrae huius Aedis dignitas magis augeretur atque Christifideles ad impensiorem pietatem erga Dei Genetricem provocarentur, Venerabilis Frater Laurentius Jaeger, Archiepiscopus Paderbornensis, Nos rogavit oravitque ut eam, tot laudibus illustrem, Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quibus precibus, a Dilecto Filio Nostro Iosepho Sanctae Romanae Ecclesiae Presbytero Cardinali Frings, Archiepiscopo Coloniensi, et Ornatissimo Viro Conrado Adenauer, Consilii Reipublicae Germaniae Occidentalis moderandae Praeside, confirmatis, Nos, cultus marialis propagandi studio inflammati, libenti animo statuimus obsecundare. Quapropter, ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum, Ecclesiam, in honorem Beatae Mariae Virginis a visitatione in oppido Werla, intra fines Paderbornensis archidioecesis, consecratam, ad dignitatem Basilicae Minoris evehimus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae Templis eodem nomine insignibus, rite competunt. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; iisque, ad quos spectant, seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter contigerit attentari.

Datum ex Arce Gandulfi, sub anulo Piscatoris, die XVI mensis Octobris, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri quinto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

EPISTULAE

I

AD EMUM P. D. VALERIUM TIT. S. SILVESTRI IN CAPITE S. R. E. PRESB. CARDINALEM VALERI, PRAEFECTUM S. CONGREGATIONIS DE RELIGIOSIS, QUEM LEGATUM MITTIT AD CONVENTUM MARIALEM E TOTA CANADENSI REGIONE AD SANCTUARIUM B. MARIAE V. INDICTUM, « CAP-DE-LA-MADELEINE » NUNCUPATUM, IN TRIFLUVIANENSI DIOECESI.

PIUS PP. XII

